

Appendice 3

HERMANNUS USENER

GLOSSARIUM EPICUREUM

edendum curaverunt M. Gigante et W. Schmid

SPECIMEN

PRAEFATIO

Glossarium Epicureum, quod quamvis saepe laudatum a plerisque tamen viris doctis adhuc adiri non potuit, cur hoc loco in lucem proferatur, paucis explicare opus est, ut perspicatur, quid huius esse editionis proprium, quid ab ea alienum existimari debeat.

Hermannus Usener quondam *Epicureorum* suorum firmissima posuerat fundamenta¹, cum iam in Diogenis Laertii opere adhibendo fragmentisque colligendis verborum notionumque silvam comparavit hoc auxilio facilius fieri posse ratus, ut observationes iudiciaque de Epicuri doctrina confirmarentur; hoc vel idcirco admonendum est, quod nonnullis annis post Ioannes ab Arnim longe aliam iniit rationem, cum Maximilianum Adler discipulum commovit, ut indicem Stoicorum veterum componeret fragmentorum editione iam perfecta. Quae Usener in indice suo componendo collocavit studia maximi esse aestimanda nemo est qui infitietur. Iam vero Usener multis aliisque postea distentus studiis impeditus est, quominus indicem illum, quem ad suum usum destinauerat, ita suppleret, ut omnibus locis deinceps repertis auctus fortasse foras denique dari posset; hinc illud potissi-

¹ De hac re v. H. DIELS, *Kleine Schriften zur Geschichte der antiken Philosophie* (Darmstadt 1969), p. 291, adn. 1 et W. SCHMID, *RAC* (= *Reallexikon für Antike und Christentum* ed. a Theodoro Klauser s.v. Epicuri: vol. 5, 1962, col. 714):

num intellegitur, qui factum sit, ut in indicem Usenerianum non reciperetur *Gnomologium Vaticanum* paucis mensibus post *Epicureorum* editionem a Carolo Wotke inventum.

Iam temporibus bellum anno MDCCCXVIII confectum excipientibus nonnulli a Seminario Bonnensi (ubi index ille asservatur) et a Facultate Philosophorum Bonnensi petiverunt, ut ipsi *Glossarium* exscribere vel complura exemplaria conficienda curare sinerentur; quorum in numero erat Achilles Vogliano (primo tum, cum bibliothecam privatam in domo Berolinensi asservatam locupletari volebat) et Officina Neapolitana ad papyros custodiendas et restituendas instituta. Veniam iis, qui petiverant, esse datam consentaneum est. Mense Octobri anni MDCCCXLIV cum aedes Universitatis Bonnensis lacrimabili conflagrabant incendio, nonnulla quidem pars *Glossarii* afflicta est, sed qui tum Seminario Bonnensi praeerant effecerunt, ut omnes schedulae adustae iamque Herculanensium velut papyrorum fatum subiturae transscriberentur atque integrae conservarentur. Hoc bello quo iterum vexabatur orbis terrarum confecto, cum aliquamdiu consilium erat in Academiae Germanicae — olim Borussicae — instituto, quo Graecorum Romanorumque philosophia proprie tractatur, omnes textus Epicureos denuo edere, simul fieri posse visum est, ut Useneri index, quem Achilles Vogliano descriptum fecerat suum et qui postea ad Academiam illam translatus erat, funditus instauraretur.

Atqui nova haec *Epicureorum* collectio iam saepe desiderata adhuc ad finem perducta non est, nedum Useneri *Glossarium* unquam sit ita retractatum, ut absolutum iam publici iuris fieri posset; quamquam aequum est concedere affluentem papyrorum novis identidem editionibus prodeuntium copiam tulisse, ut renovandi onus non tam sublevaretur quam

accresceret. His adductum rebus Institutum, quod inscribitur Centro internazionale per lo studio dei papiri ercolanesi (CISPE), atque adeo eius consiliatores suadente Ioanne Pugliese Carratelli censuerunt *Glossarium* illud, quippe quod iam esset instar documenti historici, ita ut est recipiendum in seriem a Tullio Gregory curatam quae vocatur *Lessico Intellettuale Europeo* et auspiciis expensisque Consilii quod nuncupatur Consiglio Nazionale delle ricerche (CNR) editur. (Hoc modo illud etiam facilius cognosci poterit, quosdam qui in sermonem Epicureum inquisiverunt Useneri schedulis — dicimus in primis specialem illum indicem grammaticum mero verborum indici adiectum — re vera plurima debuisse, etsi hoc minime confessi sunt).

Quod igitur Useneri *Glossarium* eadem nunc forma prodit, qua instruxerat celeberrimus ille *Epicureorum* editor, hoc profecto omnibus probabitur « eum modum, quo Usener in locis citandis usus erat » ad unam eandemque dirigi oportuisse normam; apparet enim illa ratione repraesentari diversos velut gradus studiorum, quae Usener et in editione et in *Glossario* conficiendis collocavit. Quod autem in fine huius editionis additur *Gnomologii Vaticani* index verborum (isque a *Glossario* Useneriano plane separatus: v. Appendicem), hoc expletur aliquatenus lacuna omnibus permolesta, qui philosophiae Epicureae operam dant; indicem quod composuit gratiam meretur Ioannes Franciscus Fabiano Genuensis.

Quod schedularum ordo et Neapoli usu assiduo et Bonnae iniquitate belli supra commemorata nonnullis locis videbatur esse turbatus, Marcellus Gigante et Mathilda Ferrario Neapolitana sedula eius adiutrix apographum Neapolitanum diligentissime, ut erat necesse, comparaverunt cum *Glossario* Bonnensi archetypo. Etenim laboriosum et difficile munus edendi

a nobis susceptum exsequi non potuimus, nisi eadem M. Ferrario — subsidiis et CISPE et CNR adiuta — una nobiscum diligentissime operam navasset ad exemplar typis mandandum et, quantum poterat, rationes in locis laudandis ab Usenero adhibitas ad unam eandemque normam redegisset atque Epicuri et Epicureorum et reliquorum scriptorum editiones indagavisset.

Iam paucae adnotationes addendae sunt aptae quae citandi modum explanent :

1. In singulorum lemmatum textu, si loci afferuntur e pluribus eiusdem auctoris operibus petiti, nomen eius non plus quam semel indicatur ; interposito autem alio quolibet auctore prioris nomen repetitur. Epicuri quidem ipsius opera ita citantur, ut, ubi primae epistolae locum quendam alii excipiunt e secunda vel e tertia allati epistula, *ep.* semel notasse sufficiat. Ubi complures loci ex eadem afferuntur epistula, primus solus numero Romano signatur ; quem sequitur *ib.* (= ibidem) et paragraphi numerus.

2. Simili modo paragraphi cuiusdam numerus is, qui ad complures pertinet locos citatos, non adhibetur nisi primo loco, ita ut postea *ib.* tantummodo notetur (adiecta scilicet et pagina et linea). Hac igitur inita ratione, qua quidem res simpliciter repetendae utique omittuntur, consentaneum est etiam inscriptionem eius operis, quod saepius deinceps nullo alio interposito occurrit, non indicari nisi cum primus citatur locus.

3. Quare, si forte nonnulli inter se excipiunt qui a Theodoro Gomperz editi sunt loci ad Epicuri *de natura* opus pertinentes, iis ubique exemplis, quae primum sequuntur, nihil adnotatur nisi post *ib.* singuli numeri, quibus lineae

indicantur. Eodem modo, ubi laudatur idem illud *de natura* opus editum in *Voluminibus Herculanensibus*, omnibus locis primum allatum sequentibus nihil indicatur nisi ii numeri Romani, quibus singuli *de natura* libri notantur, et, ubi idem significatur liber, singulae tantum paginae et lineae.

4. Quibus Usener in *Glossario* suo ad opera signanda usus erat siglis Graecis, ea Latinis notata sunt litteris; ita factum est, ut ϕ — quod e.g. nominatur — commutaretur in *nat*.

5. *Glossarium* autem ipsum, etsi sunt quae aliquatenus inter se pugnent, tamen ita a nobis editum est ut integrum conservaretur (exceptis scilicet iis, quae parum videbantur esse perspicua); hinc illud intellegitur, qua de causa in fontibus exhibendis locum priorem obtineat modo nomen auctoris, modo textus ipse.

6. Quoniam in locorum ordine proposito eadem illa exemplaris Useneriani ratio parum quodammodo constans servata est, evenit ut nonnumquam locos eos, qui complures ex epistulis depromptos sequuntur et qui ipsi ad alia pertinent Epicuri opera, excipiat series locorum ex epistulis rursus petitorum; nam saepe unamquamque seriem illorum locorum alia simul invenies schedula exaratam. Vel hinc illud perspicitur, quod supra commemoravimus, quot qualesque fuerint gradus studiorum, quae Usener ad hanc rem adhibuit.

7. Si nihil amplius adnotatur, omnes paginarum linearumque numeri, qui sequuntur Epicuri opera fragmenta testimonia citata, referuntur ad *Epicurea* (Lipsiae 1887)² cuius

² Editio stereotypa prodiit Romae 1963, Stutgardiae 1966.

textus nonnunquam dissimilis atque in schedulis exstat ; ad Useneri nos operis egregii normam direxisse monendum est rationem citandi eam, quae ad Epicuri pertineat epistulas sententias fragmenta. Si lineae non indicantur, colligendum est ea quae quaeruntur verba reperiri posse in apparatu. Hoc tum potissimum fieri animadvertimus, cum in *Epicureis* et in *Glossario* Usener duas eiusdem vocis lectiones varias exhibet, quarum alteram continet *Glossarium*, alteram *Epicureorum* apparatus criticus.

Transeamus ad ea quae de textu constituto, qualis in *Glossario* apparet, monenda sunt :

a. In *Epistulis et Ratis Sententiis Epicuri a Diogene Laertio servatis* et in fragmentis testimoniisque apud alios auctores obviis *Glossarii* textus plerumque cum forma textus in editione Useneriana dati congruit.

b. Usenerum, cum aegerrime ferret deploratam *Voluminum Herculanensium* condicionem³, in paucis paginis ad opus *de natura* spectantibus⁴ a textu *Voluminum Herculanensium* et afferendo et restituendo se abstinuisse nemo est qui nesciat : « non loquor de librorum περὶ φύσεως reliquiis, quas cum Th. Gomperzius secundum accuratissimam chartarum recognitionem multo quam antea pleniores et auctas prope diem editurus sit, risum meruissem, si solis apographis Neapolitanis nisus frustra temptare ausus essem »⁵. Quo magis laudandus est Usener, quod si non in editione, at in *Glossario* fragmenta ex opere *de natura* petita saepius respexit et ubi videbatur necessarium a Gomperzio dissentire ausus est⁶.

³ V. *Epicurea*, praef. p. LII.

⁴ *Epicurea*, pp. 124-128.

⁵ Praef. l. c.

⁶ Hoc optime illustratur exemplo gravissimo in *nat.* XIV obvio,

Editiones autem singulae Gomperzii ad opus *de natura* spectantes, quae utpote iam ante novam illam expletam perfectamque Gomperzii editionem ab Usenero frustra speratam publici iuris factae anno 1887 — vel potius antea — adhiberi poterant, sunt hae: « Zeitschr. f. d. oesterr. Gymn. » 1867, 207 sqq.⁷; « Sitzungsber. der Wiener Akad. » 1876 t. LXXXIII, 87 sqq.⁸; « Wien. Stud. » I (1879), 27 sqq.⁹.

Ubi *Glossarii* auctor in locis ex opere *de natura* desumptis editiones a Gomperzio curatas deesse videt, utitur editionibus Academicorum Neapolitanorum quales inveniuntur in *Voluminibus Herculanensibus*.

c. Idem dicendum est de locis Epicureis ex Philodemo allatis (v. indicem fontium ab Usenero in *Epicureorum* collectione additum p. 432 sq.), quos *Glossarium* tantummodo in libris *De ira*, *De signis*, *De pietate* conscriptis ex editionibus Gomperzianis (*De ira*: Lipsiae 1864; *Philodem ueber Induktionsschlüsse*, *Herkulanische Studien* I, Lipsiae 1865; *Philodem ueber die Frömmigkeit*, *Herkul. Studien* II, Lipsiae 1866), saepius autem ex *Voluminum Herculanensium Collectione* sive

cf. indicem verborum s.v. τέμνειν (hoc loco p.) et indicem gramm. sub 'scriptura' (hoc loco p.); de re v. etiam W. SCHMID, *Epikurs Kritik der platon. Elementenlehre* (Lipsiae 1936, 1973^a), p. 26.

⁷ Haec commentatio partim spectat ad *nat.* libr. XI (p. 207 sq.), partim ad libr. XIV (p. 210 sqq., cf. conspectum [b], p. 1 et p. 2). Notandum est USENERI *Glossarium* in locis ex *nat.* XI vel XIV afferendis modo GOMPERZII commentatione modo *Collect. Altera* niti.

⁸ Cf. conspectum (b), p.

⁹ Haec editio pertinet ad librum illum incertum de libertate agendi; quem hodie in editionibus Gratiani ARRIGHETTI vel Caroli DIANO legendum esse nemo est qui nesciat. Modus autem citandi, quem in hoc libro sequitur USENER est hic: quod USENER scribit e. gr. *nat.* Gomperz 90, hoc modo significatur *nat. lib. incert. de libert. agendi*, « Wien. Stud. » 1 (1879), pp. 28-31, linea 90.

priore sive altera citat (numeris primum *Volumina Collectio-num*, deinde folia et — aut — columnas et — aut — fragmenta indicantibus).

Haud aliter res se habet in scriptoribus sectae Epicureae incertis (v. indicem fontium loc. cit. p. 437), e quorum numero a nobis e.g. nominatur *PHerc.* 831 (*VH²X* f. 71-80), postea primum Metrodoro (sic ab A. Koerte), deinde Demetrio Laconi (sic a R. Philippson et W. Schmid) attributa; etiam quae *Glossarium* ex fragmento ethico *PHerc.* 1251 affert, exscribuntur ex ipsis *Voluminibus Herculanensibus* (*VH²XI* f. 20-42), non ex Comparettii textu quamvis in *Epicureis* Usenerianis saepius laudato¹⁰.

Quod ad indicem Polystrateum attinet (v. huius voluminis p. 00), animadvertendum est Usenerum laudasse editionem Gomperzianam illius libri qui inscribitur *περὶ ἀλόγου καταφρονήσεως* («Hermes» XI, 1876, pp. 399-412).

Sed ut praefandi finem faciamus: Quicumque papyrologiae Herculanensis statum in *Glossario* conspicuum¹¹ excedere hodiernasque editiones — et commentationes cum iis coniunctas — Epicuri vel Philodemi vel aliorum scriptorum Epicureorum inspicere vult, eum delegatum esse volumus non solum ad harum rerum enarrationes iam notas — dicimus P. De Lacy, Philodemus *On Methods of Inference* (Philadelphiae 1941), p. 179 sqq.; G. Arrighetti, *Epicuro, Opere* (Taurini 1973²), pp. XL-LIII; W. Schmid, *RAC* (s.v. Epicuri)

¹⁰ Cf. *Epicurea*, praef. p. XLVII-L et p. 68 sq.

¹¹ Status ille qualis fuerit, facillime cognoscitur exemplo W. SCOTTII (*Fragmenta Herculanensia*, Oxonii 1885), quem USENER in *Epicureorum* editione interdum nominat; vide etiam W. SCHMID, *Zur Geschichte der herkulanischen Studien*, «La Parola del Passato» X (1955), pp. 478-500.

vol. 5, 1962, ccl. 681-819, in primis col. 698 sqq. —, sed etiam ad conspectus hoc loco subsequentes quibus continentur :

A) compendia saepius usurpata ; B) editiones Epicuri Epicureorumque ab Usenero laudatae, hoc loco alphabetica serie dispositae, quibus adiecta sunt quaecumque hoc saeculo studiis Epicureis promovendis usui esse possunt ; C) clavis ad papyros Herculanenses inveniendas apta ; D) auctores antiqui praeter Epicurum et Epicureos ex quibus textus Epicurei afferuntur ab Usenero compendiis notati ; E) auctores recentiores ab Usenero adhibiti et hoc loco pleniore forma explicati.

.....

MARCELLUS GIGANTE - WOLFGANGUS SCHMID

In Glossario edendo haec signa adhibuimus :

- [] supplementa in papyris edendis
- () complementa vel explicationes
- < > additamenta

ἀβέβαιος

τὴν δὲ τύχην οὔτε θεὸν ... ὑπολαμβάνοντος ... οὔτε ἀβέβαιον αἰτίαν Ep. ep.
III 134, p. 65,15

ἀβελτερεύεσθαι

ὥς δι' ἐαυτὸν ἀβελτερευομένῳ Ep. nat. Gomperz 90

ἀβλαβία

(ἡ εὐδαιμονία sc.) ἐξ ἀβλαβίας ἐθεωρεῖτο τ[οῦ]ς πᾶσιν ἐρχομένη Philod.
priet. 148,20

ἀγαθός

— ἐστὶν ἀγαθ[ός] Ep. fr. 533, p. 322,17 est = κατ' ἀρετὴν ζῆν, si recte
de ceteris statui || πῶς ἄριστα τὸ τῆς φύσεως τέλος συντηρήσει fr. 554,
p. 328,13 || τοῦ ἀρίστου βίου sent. 20 § 145 || τῆς δόξης τ[ὴν] ἀρίστην
ἐκθεσιν nat. XV VH² VI 32 fr. 23

τὸ ἀγαθόν

ὅπως γηράσκων νεάζῃ τοῖς ἀγαθοῖς διὰ τὴν χάριν τῶν γεγονότων Ep. ep.
III 122, p. 59,9 || πᾶν ἀγαθὸν καὶ κακὸν ἐν αἰσθήσει ib. 124, 60,16 || τὸ
τῆς ψυχῆς καὶ τοῦ σώματος ἀγαθὸν συμπληροῦν ib. 128, 62,20 || (ἡδονή)
ἀγαθὸν πρῶτον καὶ συγγενικόν ib. 129, p. 63,1 = πρῶτον ἀγαθὸν τοῦτο
καὶ σύμφυτον ib. p. 63,5 || πᾶσα ἡδονή ... ἀγαθόν, οὐ πᾶσα μέντοι αἰ-
ρετή ib. p. 63,11 || χρώμεθα τῷ μὲν ἀγαθῷ κατὰ τινὰς χρόνους ὥς κακῷ
τοῦμπαλιν ὥς ἀγαθῷ ib. 130, p. 63,15 || τὴν αὐτάρκειαν ἀγαθὸν μέγα
νομίζομεν ib. p. 63,17 || τούτων δὲ πάντων ἀρχὴ καὶ τὸ μέγιστον ἀγαθὸν
φρόνησις ib. 132, p. 64,18 || τὸ τῶν ἀγαθῶν πέρας ὥς ἐστὶν εὐσυμ-
πλήρωτόν τε καὶ εὐπόριστον ib. 133, p. 65,4 || οἴεται μὲν γὰρ ἀγαθὸν ἢ
κακὸν ἐκ ταύτης (τῆς τύχης) πρὸς τὸ μακαρίως ζῆν ἀνθρώποις < οὐ > δι-
δοσθαι, ἀρχὰς μέντοι μεγάλων ἀγαθῶν ἢ κακῶν ὑπὸ ταύτης χορηγεῖσθαι
ib. 134, p. 65,18 || ζῶν ἄνθρωπος ἐν ἀθανάτοις ἀγαθοῖς ib. 135, p. 66,9
|| ἢ (ἦν ?) κατὰ φύσιν ἀρχῆς καὶ βασιλείας ἀγαθὸν μεῖζον (δὲ coni., ἐξ ὧν
libri) sent. 6 § 140 || ἀπέλαβον τὸ τῆς φύσεως ἀγαθόν sent. 7 § 141 ||
[ἐνί]οτε ἀγαθ[ὸν] λέγεσθαι τὸν πλοῦτον καὶ μ[έ]γα fr. 42 (Philod.),
p. 108,22 || τὴν ... πε[νί]αν ... ἀγαθὸν εἶναι fr. 43, p. 108,28 || οὐκ